



**Prorector Et Senatus Academiae Kiloniensis Ad Ivsta, Qvae Nobilissimae  
Virtutibusque Ornatissimae Matronae, Annae Kortholthae, Natae Lobedanziae,  
Nobilissimus Amplissimusque Vir, Sebast. Kortholtus, Philos. Mor. Et. Poes.  
Prof. ... Collega Noster Aestimatissimus, Hodie Ab Hora II. Solemni Ritv  
Persolvitur Est, Freqventi Comitatu Cohonestanda, Cives Academicos  
Vniuersos Peramanter Ac Officiose Invitant**

Kilonii: Literis Bartholdi Reutheri, 1711

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1731787162>

Druck Freier  Zugang





Small, light-colored rectangular label on the left edge of the book cover, possibly containing a title or author name, but the text is illegible.

Small, light-colored rectangular label on the left edge of the book cover, containing handwritten text: "II.", "40", and "00".

enth. 32 Stücke

J 2 II

1899 / 500

-40

PRORECTOR

ET

SENATVS ACADEMIAE  
KILONIENSIS

AD IVSTA,

QVAE

*NOBILISSIMAE VIRTVTIBVSQVE ORNATISSIMAE MATRONAE,*

ANNAE KORTHOLTAE,  
NATAE LOBEDANZIAE,

*NOBILISSIMVS AMPLISSIMVSQVE VIR,*

SEBAST. KORTHOLTVS,

PHILOS. MOR. ET. POES. PROF. P. ORD.  
ET. BIBLIOTH. ACAD. PRAEFECTVS,

COLLEGA NOSTER AESTIMATISSIMVS,

*HODIE AB HORA II.*

SOLEMNI RITV PERSOLVTVRVS EST,  
FREQUENTI COMITATV COHONESTANDA,

CIVES ACADEMICOS VNIVERSOS

PERAMANTER AC OFFICIOSE  
INVITANT.

---

K I L O N I ,

Literis BARTHOLDI REUTHERI, Academ. Typogr. 1711.

PROFESSOR

SENATUS ACADEMIAE

KILIENTIS

AD INSTA

ORAM

ANNAE KORTHOITAE

NATAE LOBEDANIAE

SEBAST. KORTHOITVS

PHIL. MOR. ET. FOR. PROF. H. ORD.

ET. BIBLIOTH. ACAD. PRAEF. G.

COLLEGE NOSTER AESTIMATISSIMVS

HODIE AB HORA 14.

SOLEMNI RITV PERSONIVVS EST.

THEOVNITI COMITATV CONONE TANDA


CIVES ACADEMICOS VNIVERSOS

PERAMANTER AC OFFICIOSE

INVITANT.

KILIENTIS

LUCAS BARTHOLDI REUTHENIS ACADEM. TYPOG. 1778



**C**ogitantes saepius admiratio capit, qui

fiat, vt charissimae amoris deliciae virtutisque exempla praestantissima tanto plerumque e terris eripiantur citius, quanto inter homines emicuerunt clarius, dotibusque suis eluxerunt. Quae cum omnes omnino decent mortales, tum feminas etiam, mollem illum ac delicatum sexum, ornant maxime, ac commendabiliores faciunt, transcribuntque aeternitati. Quis enim non intelligit, multis modis gratiorem animi esse pulchritudinem, vt voce Platonica hic vtamur, si venustate corporis comitata sit, suauisque per externas notas atque signa oculis sensibusque se adspicientium insinuare. Eruditas laudibus in coelos vsque extollimus: cur non & pias probasque praedicamus eo magis, quo minus virtuti mentis virtus cedit bene compositi animi, pleniusque & diuinae satisfacit legi, & humanae societati inseruit vtilius? Has certe si magno affectu boni omnes prosequuntur viuas, mortuas maiori dolent luctu, tantoque merito vehementior est moeror, cum amissae sunt. Sed haec consuetudo est ac mos clementissimi Dei, vt quas diligit impense, ac in pretio habet, has ad se reuocet celerius, coeloque recipiat, ne temerentur sacra deposita, ostensa terris, non donata. Testata id his diebus exemplo suo fuit nobilissima omnique virtutum genere ornatissima matrona, ANNA KORTHOLTA, nata LOBEDANZIA, amplissimi doctrinaque clarissimi viri, SEBASTIANI KORTHOLTI, Philosophiae moralis ac Poeseos in hac nostra Christian-Albertina Professoris publici celeberrimi, ac bibliothecae Academiae praefecti, collegae nostri coniunctissimi, dulcissima olim, nunc desideratissima coniux. Neque enim sua minus virtute excelluit, quam generis nobilitate, gloriaque maiorum, quae illi ad honestatem morum decentiamque incitamento fuit. Patrem quippe habuit MATTHIAM LOBEDANZIVM, Potentissimi Regis Daniae Quaestorem Flensburgensem spectatissimum, & vectigalibus regiis praefectum, integerrimum virum, matrem vero CATHARINAM MARIAM natam GVDIAM, optimam item ac sanctissimam, eodemque cum marito

) 2

defun

defunctam anno superioris saeculi xcix. Auus paternus ei fuit JOHANNES LOBEDANZIVS, prudentissimus vir, deque ciuitate Rensburgensi meritissimus Senator, auiaque paterna ANNA ZIMMERMANNIA, matrona singulari integritatis & modestiae laude inclita: maternus vero auus MICHAEL GVDIVS, magni illius MARQVARDI GVDII germanus frater, Consiliarius celsissimi Comitis Ranzouii grauisissimus, praediorumque eius Inspector fidelissimus, & auia materna ANNA GVDIA, nata REIMERIA, prudentissima femina, cuius inprimis in se educanda praestitam fidem industriamque plurimum laudauit nostra. Proauus paternus ei obtigit JACOBVS LOBEDANZIVS, maternus autem PETRVS GVDIVS, consultissimi viri, vtrique Consules Rensburgenses amplissimi, vtrique tori lociam cognominem habentes, CATHARIAM, HANSENIAM ille, hic LAVRENTIAM, Senatoris Tunderensis filiam. Abauus quoque eius paternus & maternus GEORGIUS LOBEDANZIVS & MICHAEL GVDIVS, eodem munere Senatorio functi sunt apud Rensburgenses, quorum priori WIBIA GVDIA, posteriori MARGARETA matrimonio iuncta fuit, ex JONSIORVM inclita isthic gente ac hodie quoque celebri prognata. Ab his itaque ac tantis parentibus atque maioribus orta nostra anno cio cclxxxviii. prid. Non. Augusti, mox ab ingenerata animi labe per sacrum fontem purgata est, atque expiata, istisque ab initiis innocentem egit vitam a que scelere puram, nullis turpibus atque improbis voluptatibus deliciisue nimis adsuafaciens aetatem. Neque enim ipforum duntaxat parentum, sed & lectissimorum cura praeceptorum, nominatim JOHANNIS EGARDI, Pastoris deinde Steinbergensis in Anglia, & HENRICI BRAKERI sacrorum ad aedem diui Nicolai mystae primarii Flensburgensis, ad pietatem Christo debitam omneque hunc sexum ornans decus educata est liberalliter, ac instituta. Hic vero dubitatum est merito, vtrum ingenio magis, an memoria, aut iudicio polleret laudatissima virgo? tam celeriter illa & sacras capiebat historias, & praecipua Dei effata animo imprimebat, & totam fidei doctrinam iusta serie connexam complectebatur mente sua, eiusque rei mirandum specimen, ad sacram accessura coenam, perreuerendo dabat BRAKERO, qui ei a sacris confessionibus fuit. Hoc itaque pacto in cursu virtutis ita paulatim profecit, vt nec secundis rebus efferret animum, nec deiiceret plane aduersis, & in utraque fortuna semper sibi similis persisteret. Vix enim vndecimum ingressa erat annum, cum matre primum ad d. V. Martii, mox ad d. XV. Maii patre quoque, vnice suis secundum Deum in terra perfugiis atque praesidiis, deplorando priuaretur casu: quem tamen tam fortiter pertulit, vt nemo non eius religionem atque eximiam animi constantiam suspiceret. Ita nimirum didicerat ex oraculis diuinis, quibus haut leuiter erat imbuta, nihil citra sapientissimam Dei voluntatem decretumque nobis contingere, qui & laeta omnia & tristia disponit, proque arbitrio dispensat suo. Quin & carminibus sacris solatio plenis, quae a tenera inde aetate aesti-

aestimabat plurimum, se erexit muniuitque aduersus dolorum acrem sensum: ac quo magis firmaretur animo, in domum auiae maternae concessit, nec eius minus fide, quam priuata celebris viri, GEORGII LVNDII, institutione, qui nunc apud Prezanos ecclesiae Pastorem primum agit, ad praeclara omnia fuit erudita, insignibusque indolis documentis affatim editis adoleuit. Quibus rebus id ea effecit, vt non illic solum raris accenderetur exemplis, sed & in Holsatiam peruaderet eius fama, & Kilonium vsque ac ultra perueniret. Mouit ea ferme ante septennium clarissimum KORTHOLTVM nostrum, virtutis aestimatorem summum, quam & ratione muneris amplio redde laudibus obstringitur, vt eam anno huius saeculi quarto adhuc sedecennem eodem mense Martio sponsam sibi expeteret, quo nunc vt sponsa Christi in coelestem domum nuptialem immigrauit, & in amplexus Seruatori suo ruit. Dies illuxerat XV. Augusti, ob insignem Caesareanorum eisque foedere iunctorum victoriam, prope Hochstadium ab hostibus reportatam, memorabilis imprimis, dignusque, cuius ad seram vsque posteritatem transmittatur memoria. Hoc ipso die solemniter cum ea nuptias celebrauit noster, ipsamque Kilonium delatam domum duxit, sed haut vltra septennium ea uxore gauisus fuit. Dicitur autem non potest, quam praeclare hic noua nupta toto coniugii tempore instituerit vitam ac egerit, quantaque & obseruantia coluerit maritum, & pietate liberos fouerit, quos KORTHOLTO nostro genuit, numero quatuor. Ex his & filius primogenitus CHRISTIANUS post undecim, filia vero primogenita ANNA post duas statim hebdomades dierum hac vita excessit. Non haec quoque clades animum fregit nostrae, sed firmauit potius spe diuinoque solatio adiutum: quo freta nostra iis contenta amoris coniugalis pignoribus fuit, quae ex utroque ei sexu diuina benignitas reliquit. Superstes namque est filius alter, & ipse nomen CHRISTIANI a summe reuerendo auo suo, Theologo in hac Academia illustri quondam, & immortalibus in ecclesiam meritis conspicuo fortitus, qui nunc matris nomen praematura sibi morte ereptae frustra inlucet. Superest quoque filia altera, nuper demum VI. Id. Febr. edita in lucem, & ab auia sua materna CATHARINA MARIA appellata, quae pariter haut sentit calamitatem suam, quia indulgentissimam genitricem suam ne nouit quidem, cuius ab vlnis tam cito in ipsa abstrahitur infantia, ac auellitur. Laetatur auia nostrae, ANNA GVDIA, hunc pronepote, hancque proneptem se adhuc videre viuente, atque exosculari: sed vt primogenitos olim fleuit antegressos, ita hos secutam matrem, neptem suam, tanto acerbius nunc dolet. Dolent quoque boni bonaeque omnes, hanc tam piam, tam castam, tam denique mitem ac benignam animam e terris euolasse, nobisque nil nisi triste sui reliquisse desiderium. Concessit ei tamen diuina clementia, vt prius quam viuentium numero eximeretur, de sororum suarum gauderet felicitate: nuptiis enim tum natu maioris, experientissimo HENRICO SCHEFFERO, Medicae artis Doctore & Practico



Etico apud Flensburgenses celeberrimo collocatae, tum minimae natu, consultissimo HENNINGO CHRISTIANO IESSENIO, Sacrae Regiae Maieſtatis Danorum Noruagorumque dicaſterii Aſſeffori digniſſimo, Bredſtadii coniunctae, laetabunda ipſa interfuit. Inter haec vero ipſa rem ſuam familiarem geſſit gnauiſſime, & vti bonae vxoris matrisque partibus pulchre eſt defuncta, ſic nec quidquam intermiſit eorum, quae prouidam matrem familiae decent: quam ad prouinciam ſuſtinendam cum primis ipſe Deus, vt Xenophonteus Socrates ait, mulierum videtur genus condidiſſe. Quia vero ſine ſincera in Deum pietate virtutem nouerat nullam conſiſtere poſſe, vt pote quae ſit vnicum caeterarum omnium fundamentum, caputque humanae felicitatis, idcirco eam cunctis in actionibus ſuis praecipue duxit adhibendam. Expendit perpetuo reuerendam Dei poteſtatem, expendit & effuſam in homines benignitatem: illa ad timorem, haec ad amorem diuinae maieſtatis perpulit noſtrae mentem: timorem tremendae iuſtitiae, amorem admirandae cogitatio ſapientiae auxit, qua ſummum in coelis Numen moderatur haec vniuerſa. Hinc nulla de re ſolicita magis, quam vt in tota vita Deum recte coleret, non ſolum ſolemni coetui interfuit aſſidue, ſed et ſacras conciones auſcultauit tam ſedulo, atque adeo penitus ad animum demittit, vt eas pene integras recensuerit ſuis, ac ſuos ad vſus prudentiſſime conuerterit. Nunquam vero tam ſe affici ſenſit gaudio, & quaſi totam perfundi, quam cum diuino epulo reficeretur: quod ideo ſibi experiri tanto frequentius, quanto ad vltiorem in fide ac obſequio Chriſti profectum experta eſt eſſe ſalutarius. Nihil adulationi, nihil damus aſſentationi, ſi in ſacrarum intellectu literarum paucas ſibi pares, nullas habuiſſe ſuperiores, affirmemus. Neque enim contenta fuit has ex ore ſacrorum Oratorum audiuiſſe publice, ſed & ipſa generoſorum Berhoenſium more eaſdem perſcrutata eſt cum cura, ac proruſſus memoriae infixit, ne ea praecipue elaberentur, quibus miſeriam noſtrae ſortis ſulcire debemus, ac ſolari. Quoties ſe non inuoluere neceſſum erat domeſticis negotiis, toties virorum Dei monumenta peruoluebat, & quantum aliae ſibi ad requiem animi vel corporis indulgent temporis, quantum tribuunt tempeſtiuis conuiuiis & conſabulationibus, quantum denique chartis luſoriis & deambulationibus, tantum ſibi illa plerumque ad ſanctiora haec recolenda ſumebat ſtudia. Atque hoc eo maiori ipſi dicitur laudi, quod inde quotidie ipſius creuit in Deum pietas facultasque, quae in vera animi felicitate virtuteque perſequenda moleſtias contemnit omnes, ac parui pendit. Nullus nec Arminius, nec Hercules ac Herculifcus, nec Octauia ( quae alioquin inter praefantiffimas habentur fabulas Romanentes ad animos relaxandos elegantesque ſermonum formulas diſcendas ) tam ei arridebant, quam edita e coelo oracula, quae non niſi epiſtolam eſſe recte putabat, a Filio Dei eccleſiae ſcriptam, eo-que diligentius ad caſtum accendendum amorem perlegendam, omnibusque mundi deliciis anteponendam ac theſauris. Vnde fieri aliter non  
poruit,

potuit, quam ut pompam fastumque omnem haberet procul, & circa corporis cultum temperantissima esset, & in rebus cunctis vteretur moderatione. Prudenter namque cum Graeca illa reputabat matrona, praecipuo sibi ornamento gloriam esse viri ac famam, eique nihil esse adiacendum, nisi munditiam animi, & suae quoque vitae innocentiam, a qua etiam in summis, quae contingere solent, molestiis non defecit. Mirum, quantam animi patientiam ostenderit, cum ante aliquot annos articulari morbo, quem arthritidem vagam nominant filii Medicorum, misere affligeretur. Nec opes quoque, quas a Deo acceperat haut contemnendas, quaeque multorum corrumpere solent animos, illam vel latum unguem a cursu virtutis seuocarunt: quin id operam dabat quouis modo, ut vel hoc se ab hominum vulgo fecerneret, quod nihil duceret illud Plautinum: secundas fortunas decere superbias. Quin potius in id incumberebat perpetuo, ut suam superioribus obseruantiam, aequalibus humanitatem, pauperibus facilitatem ac beneficentiam, omnibus amorem approbaret, seueritatem temperans comitate atque affabilitate singulari, a candido in omnes pectore proficiscente. Hinc nihil magis, quam amicitiam ac pacem amabat, nihil magis, quam inuidiam & discordiam odio habebat, de nulliusque fama detrahebat temere, quin, qui id facerent, admonebat, idque vitium cane peius ac angue fugiebat. Digna id propter bonis omnibus videbatur, quae ad plures annos protraheret vitam atque adeo ad seram vsque senectutem perduceret: sed aliter visum Deo, vitae mortisque arbitro, fuisse, tristis eheu! euentus nuper docuit. VI. Id Febr. sobolem enixa feliciter & maritum filia, & auiam suam beauerat pronepte, & nouo domus incremento exhilarauerat familiam suam, inque eo iam erat, ut prodiret paulatim in publicum, ac pro diuino beneficio Deo gratias ageret. Tum vero cum commodum sumato in manus pulcherrimo libello precum religiosissimi Arndii, Hortulo videlicet Paradisiaco, suam pro more exerceret pietatem, ex improviso defecere animo viribusque coepit (Medici hanc syncopen cardiacam vocant) III. Non. Martii, quo ipso mense ad coelites pientissimam praemiserat matrem. Reuersa tamen ad se illico, adhibitis efficacissimis, quae exquiri poterant, pharmacis collegit se denuo, ac spe magna valetudinis refocillata fuit. Neque enim quidquam neglexit conturbatissimus maritus, quod vlla ratione ad reddendam dilectissimae coniugi sanitatem existimaret pertinere, eoque experientissimum virum, WILHELMUM HULDERICUM WALDSCHMIDIUM, celeberrimum medicae artis Professorem, nuncque magnificum Academiae nostrae Prorectorem, accersit. Sed mox spes omnis concidit penitus, cum nouum subito deliquium passa, vique ingruentis morbi adeo concussa fuit denuo, ut opinione citius in Seruatore Christo, quem tam ardenti in vita prosecuta fuerat amore, placide obdor-

mires

miret, cum viuendo expleuiffet annos XXII menses VII. & dies XXIV. Non possumus sane aliter nobis perfuadere, quam quod coelestis sponfus sponfam suam tam charam ac dilectam isto *euSavaarias* genere ad se accerfere voluerit, summo in coelis gaudio fruituram sine fruendi fine. Cui cum moestiffimus maritus solemnes hodie exsequias paret, non iam vos, OPTIMI CIVES, multis cohortabimur verbis, vt prolixo eas comitatu cohonestetis: id enim vt ipsi vestra sponte faciatis, non superstitum modo merita, sed & ipsiustam pie defunctae matronae virtus pietasque eximia in exemplum saeculi memoranda satis ac abunde admonebit. Efferetur ea e domo, quam viua coluit, Kortholtiana, hora a meridie II. inque aedem diuo Nicolao sacram, ubi funebris habebitur concio, funere deducetur. P. P. Dominica Laetare anno reparatae salutis MDCCLXXI.




212

33


LBMV Schwerin

000 314 889





NEQVE T  
 AB INGEN  
 AVT AB ART  
 QVIN POTIVS A  
 ET A DOLOR  
 EXIGVVM HOC MAGNI AM  
 MAESTI  
**SEBASTIAN V**  
 PHIL. MOR.  
 CVI ACER  
 OMNI AQ  
 ET IC  
 PLANE I  
 EX QVO IDEM CVM  
 NON SOLVM ANNAM C  
 SED ETIAM FLENSB  
 ANNAM GVDIAM, MA  
 KILONII ET IPSAM MATR  
 ROSFOCHII  
 LINDEMANNÆ SORORIS SV  
 IDEOQVE TRIBVS AN  
 QVATVOR  
 FVNERAQVE FV  
 ET LACRIMIS SVIS ET  
 ABI  
 ET HOC NIMIAE FRAGILIT  
 VITAM NOSTRA  
 ET E MOMENTO PE  
 DISCE, VEL SECVNDIS  
 QVVM CERTA MORTIS  
 PROINDE TOTA VITA  
 VT IN  
 NON TAM VI  
 QVAM MO  
 CO



SSENIA  
 NDIAM,  
 IS INSIGNE;  
 DESIDERIVM,  
 T FLETVS.  
 DOLORIS MONVMENTVM  
 OSVIT  
**RTHOLTVS,**  
 EOS PROF.  
 DLORES  
 TALIA,  
 TICO  
 KERE,  
 TVM EXPERTVS,  
 I SIBI VITA CARIOREM,  
 AM DEFVNCTAE,  
 CO SIBI DILECTAM,  
 M OPTIMAM ANNAM,  
 ANNAM,  
 M VNICAM ET NVBILEM,  
 DVM CIRCVMACTIS,  
 AMISIT,  
 CVMVLATA  
 PROSEQVTVS EST.  
 MANAE EXEMPLO DISCE,  
 VISSIMO FILO,  
 AETERNITATEM.  
 ORTVNAM VERERI,  
 HIL SIT INCERTIVS.  
 ITATIO SIT MORTIS,  
 RE  
 M MORTE,  
 VM VITA